



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 265. Ab Arimathæa ciuitate Iudeæ, qui & ipse expectabat regnum Dei.
v. 51.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

sed & hæc omnia egit sine animi virulentia: postquam vero legitime fecit quidquid potuit, ne Christus crudeliter & impie occideretur hoc tandem vnum in animo suo retinuit, vt corpus Iesu honeste sepeliretur, hinc ab Euangelista, non sine causa, eius iustitia, & actus honesti toti mundo in exemplum per Euangelium sunt promulgati.

Domine & hæc gratiam mihi concede, ne vnquam iniquo consilio vel adesse velim, vel cooperari, minus vt consentiam iniquitati minime vt concludendo iniustitiam inter sim, vel maleuolo animo, vel spiritu vindicationis procedam.

§. 265. *Ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui & ipse expectabat regnum Dei. v. 51.*

Postquam Euangelista bonitatem viri huius & iustitiam, ad laudem & honorem eius, descripserat, vt magis magisque innotesceret, describit etiam patriam eius & Ciuitatem iuxta qualitates eius quas habuit bonas, At igitur natus in Ciuitate Leuitica in qua Sacerdotes Leui sedem suam habebant & in qua Anna ac Heliana maritus eius nati sunt, & in qua nunquam vlla idola aut Idololatria permilla fuit, distabat, in qua & Samuel Propheta natus est, & in qua Dei iussu primus Iudæorum Rex vnctus erat, ab eodem Samuele. Sed parum hoc erat nasci in ciuitate tam præclara, addidit & ipsi fidem & spem & caritatem exemplo suorum maiorum, fuit bonus & iustus, vt fuerant qui ante eum erant de illa Ciuitate laudati. Hoc multum fuit.

Domine, sancti per fidem vicerunt regnum tuum, operati sunt iustitiam, adepti sunt reprobationes tuas, ideo stant ante thronum tuum laudantes & benedicentes te in sæcula sæculorum, sic me obsecro sanctum fac & iustum, vt per operationem iustitiæ merear adipisci regnum tuam, & te laudare per æterna sæcula & ultra. Amen.

§. 266. *Hic accessit ad Pilatum. v. 52.*

Quia erat notabilis persona de ordine curiæ & nobilitatis, habens officium ad ministrandum Curia, ideo facilem habuit accessum ad Pilatum, cui seruebat, neque sanè alius quispiam facile ausus fuisset intrare ad illam Præsidis, & gentilis eo tempore, propter rabiem Iudæorum & periculum contaminationis, quam non curabat pius hic Christi discipulus, qui

videtur